



The Holy See

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA MENDIENSIS * APOSTOLICA PRAEFECTURA MENDIENSIS AD GRADUM ET DIGNITATEM VICARIATUS APOSTOLICI EVEHITUR, IISDEM ET NOMINE ET FINIBUS SERVATIS. Regnum Christi, quod est Ecclesia, hoc habet proprium ac praecipuum prae ceteris terrenis regnis atque imperiis, ut non modo nata sit ad omnes gentes colligendas suoque sinu continendas (Cf. *Mt.*, 13, 31), verum etiam ad eosdem populos gratia, veritate, virtute ita renovare (Cf. *ib.* 13, 33), ut ex humana societate subiecta peccato et in servitute redacta, sacratissimam Dei civitatem faciat, in omnium gentium salutem. Quod profecto cum semper factum est, tum etiam cotidie fit. Cum autem in regione Mendiensi, in Papuasiam-Nova Guinea, christiana res Fratrum Minorum Capuccinorum labore atque benignissima Dei gratia, prospere successisset, censuit Sacra Congregatio Christiano Nomini Propagando aequae et opportune fieri, si praefectura eiusdem nominis in ordinem vicariatuum apostolicorum eveheretur: aequae quidem, quia dilectis filiis ibidem allaborantibus signum daretur voluntatis Nostrae in eos, opportune, quia eadem Ecclesia bona spe nova virtutis et caritatis incrementa captura esse videtur. Quae cum ita sint, consilio petito a venerabili Fratre Dominico Enrici, Archiepiscopo titulo Ancusitano, eodemque in Australia, Nova Zelanda et Oceania Delegato Apostolico, praefecturam *Mendiensem* ad dignitatem vicariatus apostolici tollimus, cum iuribus et privilegiis debitis, servatis nempe et finibus et nomine Mendiensi. Censemus, praeterea, ut eadem circumscriptio ecclesiastica iisdem Patribus ex Ordine Fratrum Minorum Capuccinorum regenda credatur, quos paterne hortamur ut nulli labori parcant, christianae religionis proferendae gratia. Ceterum, quae iussimus idem venerabilis Frater Dominicus Enrici exsequi studebit, vel quem ipse delegaverit. Re vero acta, documenta exarentur, adque Sacram Congregationem Fidei Propagandae cito mittantur, sinceris sane exemplis. Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose servantur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die sexto mensis Iulii, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo quinto, Pontificatus Nostris tertio.*

IACOBUS A. Card. COPELLO

S. R. E. Cancellarius

GREGORIUS Card. AGAGIANIAN

S. Congr. de Prop. fide Praefectus

Apostolicam Cancellariam Regens Caesar Federici, Proton. Apost.

Sylvius Romani, Proton.

Apoost.

*A.A.S., vol. LVIII (1966), n. 4, pp. 268-269 © Copyright 1965 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana